

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

Reverendissimo Et Amplissimo Domino, Domino Patri in Christo Ac Patri,
Alberto Ordinis S. Benedicti, In Celeberrimo S. Petri Monasterio, Salisbvrgi,
Vigilantissimo, Dignissimo Abbati, Domino Svo ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](#)

REVERENDISSIMO ET AMPLIS-
SIMO DOMINO , DOMINO
PATRI IN CHRISTO AC PATRI,

ALBERTO

ORDINIS S. BENEDICTI, IN CE-
LEBERRIMO S. PFTRI MONASTERIO,
SALISBURGI, VIGILANTISSIMO,
DIGNISSIMO

A B B A T I ,

DOMINO SVO PLVRIMVM COLENDO.



Ntiquus, & magnus debitor venio, Reuerendissime
& Amplissime Domine Praeful, tantoq; maior, quanto
antiquior; cum & de cen-
su possim postulari. Quan-
quam & debitor esse non cœperim, nisi
magnus. Tanta enim sunt debita mea,
quanta beneficia tua, eaq; ita mihi altè in
memoriam inscripta, vt obliuisci non pos-
sim: ac vel hinc de magnitudine æstiman-
da. Quia, vt Tullius ait: *a Parua nomina*

)(2

in

a. Cic. pro Quintio.

E P I S T O L A

In codicem non referuntur. Auxit illa benēficia temporum difficultas , & numerus eorū , quibus liberalissima tua beneficētia succurrit. Nam cūm Suecica procella, vti alios ex urbibus & arcibus , ita etiam plurimos Religiosos, è Cœnobijs suis , ad Salisburgenses montes fugere coëgisset , apud te , omnes asylum , & ciuitatem refugij inuenierunt , quotquot quæsiérunt : pleriq; non tantūm domicilio recepti , sed etiam viatico adiuti. Inter quos nomen suum libenter profitetur etiam meus Dominus frater Anhusanus Abbas , quem , cum famulis & equis , longo tempore per honosificē sanè aluisti: quod meminit ipse sæpe , & à me quoque voluit memorari.

Beneficentia gratia promptitudine geminatur, teste D. Gregorio Nazianzeno. Et, vt inter hospitij laudes requirit Poeta , tunc gratia summa accedit, quando dici potest: *super omnia vultus Accessere boni. Quamobrem Sapientis monitū est:* ^{a.} *In omni dato hilarem fac vultū tuūm.* *Quin & ipse* ^{b.} *hilarem*

^{a.} Eccli. 35. II. ^{b.} 2. Cor. 9. 7.

DEDICATORIA.

rem datorem diligit Deus. Vnde & tua Pa-
ternitas meritò talis Prælatus est, qualem
Apostol⁹ requirit, a. Qui præsit in solicitudi-
ne simul, & qui miseretur in hilaritate. Ne-
mo exulum ad te venientium te tristem,
vidit: promptum omnes, quotquot vene-
runt. Nuncquid promptum, cùm nō mo-
dò hospitalis fueris in tuos tuiq; isti⁹ Ordin-⁹
nis antiquissimi, & florentissimi Religio-
sos, sed etiā illos hospitio benignè inuitâ-⁹
ris, qui propter familiaritatem tibi mini-⁹
mè noti, neque eiusdem regulæ professio-
ne coniuncti erant?

Inter hos ego fui, cui, etsi alibi mihi li-
berale hospitium prouidit diuina bonitas,
ne quidquam tamen deesset, amplissima
tua benevolentia, & libros è bibliotheca
sua, & amictum ex arca vestiaria, & quid-
quid deniq; necessarium erat, ex Monaste-
rio suo vltro, ac petere nō audenti obtulit,
itaq; sæpius me immergeantem tractauit, vt
à meis Patribus Fratribusq; plus expectare
non potuissem. Quā adeò insignem cha-

)(3 rita-

a. Rom. 12. 8.

E P I S T O L A

xitatem, atque prorsus illustrem liberalitatem, tot iam annis, ad hunc usq; diem, etiam in absentem continuas, & humanissimis litteris litteras meas fouens, & munificentissimis donis Musas meas alēs. Debeo proinde Paternitati tuæ, quod Horatius Mecœnati, quod Augusto Virgilius; quod Patrono cliens. Si ergo beneficentia & gratia promptitudine geminatur, quam multiplex erit meum debitum, cum Paternitas tua & hilari vultu, & liberali manu me toties obligārit, atq; ea ipsa beneficia in Domino fratre meo Carolo geminārit?

Quanquam quid duos nomino duntaxat? Quotquot de Societate nostra, ex universis Provincijs, Salisburgo transeunt, hospitalitatem atque liberalitatem tuam mirificè experiuntur & prædicant; aiuntque, te, ante Dei tribunal, verè dicturum,

a. *Foris non mansit peregrinus, ostium meū viatoris patuit;* immò Christum ipsum dicturū:

b. *Hospes erā, & collegisti me.* Nā c. id ita esse

a. *Iob. 31. 32.* b. *Matth. 25. 35.* c. *Sigeber.*

in Chron. & Plat. in vita Leonis IX.

osten-

D E D I C A T O R I A.

ostendit in Leone IX. Pontifice, sub annū
1048. Qui , vt Sigebertus & Platina scri-
bunt, effusus in pauperes & peregrinos, le-
prosum, ante ædes suas inuentum, in lecto
suo collocari iussit, ac manè, die altero,
quæsitum non inuenit. Creditum est igi-
tur, Christum ipsum pauperis formâ su-
ceptum fuisse , atque in tam misericordis
Pontificis lecto decumbere voluisse. Quē-
admodū & voluit, a. simili habitu , ad D.
Gregorij Papæ, pauperes hospitio & dapi-
bus excipere soliti, mensam, aliquando ac-
cumbere. Certè, vt ad hanc virtutē homi-
nes excitet S. Ambrosius ait: b. *Qui scis, an*
Deum suscipias, cùm hospitem putas? Abrahā,
dum peregrinantibus defert hospitium, Deum
atque Angelos eius suscepit hospitio. Quamuis
&, cùm hospitem suscipis, Deum suscipis.
Sic enim scriptum in Euangeliō legis, dicente
Domino IESV: Hospes eram, & collegisti me.
quod enim unī horum minimorum fecisti, mihi
fecisti.

a. Io. Diac. in vita S. Greg. l. 2. c. 21. & 23.

b. lib. de Abraham. c. 5.

E P I S T O L A

Quæ non recenseo, vt hortator, sed vt demonstrem, quid nos Paternitati tuæ debamus, si apud Deum ista commeretur, tanquam vera & genuina Abrahæ, Loti, D. Benedicti, & eorum, qui in primitua Ecclesia hospitalitatem, in summis curishabuerunt, imitatrix. Si Pachomium Ethnicum, in castris Licinij Imperatoris, militantem visa Christianorum Thebanorum, in commilitones suos, hospitalitas & charitas, ad Christi religionem traxit, plus quam ferreus sim, si me meosq; fratres tam magneticus Paternitatis tuæ amor non itidem trahat.

Quamuis & alia quam plurima sunt, quæ etiam rapere possint; & profectò multis iam tum rapuerunt, quando Vtenburani monasterij Prior, prudentia, mansuetudine, pietate, doctrina, ingenioq;, alijs, tanquam Phosphorus, præluxisti. Ut autem radios longius diffunderes, Deo Duce, ad Salisburgensem Academiam vocatus es, vt ibi, ex clarissimo Professore Reator, ex sapientissimo Rectore celeberrim⁹

Ab-

D E D I C A T O R I A.

Abbas monasterij; consiliarius Archiepiscopi ac Principis; Assistens perpetuus Vniuersitatis; Ordinistui, per Dioecesin Salisburgensem, Visitator; tandemq; nouæ eretæ Congregationis Benedictinæ primus Præsidens fieres. Quibus omnibus in officijs, quæ quantaq; gesseris, vidit Salzburgum, audiuit Germania, leget olim totus Mundus; qui vtiq; in te agnoscet eruditionis thesaurum, œconomia regula, disciplinæ exemplar, fontem consiliorum, solidæq; virtutis ideam, & meritò inter prima Benedictinæ famlia sidera, te numerabit. Ego vnam de multis perstrinxi virtutem; si singulas vellem stilo complecti, ex epistola volumen facturus essem: quod Paternitatem tuam nolle, scio. Hinc finio, & omnia fausta precor. Ingolstadij.
Anno Christi. 1645. 17. Augusti.

R. mæ P. tis T. uæ.

Seruus in Christo

GEORGIVS STENGELIVS
Societatis I E S V.